21301

Przyjemski Alexander
Tarło Teressa.

Wosiński Antonii Petri: Victrix maiestas amoris.

VICTRIX
MAIESTAS AMORIS,
DE TRIVMPHALI ASCIA,
EXPANSIS HEROIDIS PRZYIEMSCIANÆ MANIBVS,
Coronatum Rosis & Gemmis Trophæum,
ERIGENTIS.
Ad Splendidissimum Actum Nuptialem,
ILLVSTRISSIMORVM NEOSPONSORVM,
ILLVSTRISSIMI & MAGNIFICI DOMINI,
D. ALEXANDRI
à PRZYIMA
PRZYIEMSKI,
REGNI POLONIÆ SVBDAPIFERI,
ET
ILLVSTRISSIMÆ SPONSÆ,
TERESSIÆ,
ILLVSTRISSIMORVM ET EXCELLENTISSIMORVM PARENTVM,
D. CAROLI
DE SZCZEKARZOWICE
TARŁO,
REGNI POLONIÆ VICECANCELLARII,
ET
SOPHIÆ
IN BABIN,
Dilectissimæ Filiæ,
Inter festiuas publicæ lætitiæ acclamationes,
CRACOVIÆ *Celebratum,*
Submissæ Venerationis, & gratulatorij applausûs ergo,
A
M. ANTONIO PETRO WOSINSKI, IN Alma Vniuersitate Cracoviensi, Philosophiæ Doctore & Professore,
Panegyrico obsequio,
In Orbis faciem,
PRODVCTA.
Anno Salutis 1692. Die 13. Mensis Ianuarij.

In Gentilitium Insigne
ILLVSTRISSIMI SPONSI & SPONSÆ.



Expandit niueas Virgo PRZYIEMSCIA palmas,
Victor in his manibus, nempè triumphat Amor.
Vicit TARŁOVIAM summâ Virtute Bipennim:
Iamq; triumphati Vincula Cordis habet.
ASCIA nè doleas, quamuis sis Victa, triumphes,
Communes laurus, iste Triumphus habet;
Ecce triumphanti, nè desit pulchra Corona,
Purpuream Tibi fert, Herois VRSA ROSAM.

VICTRIX MAIESTAS AMORIS.

TRophæorum in Orbe decus ſpecioſiſsimum, & quidquid inter mortales vnquam victricibus manubijs triumphale, ſæculorum viſu attonito ſpectare licuit; auguſtiùs ſemper & magnificentiùs ex amoris, quàm ex Martis genio aſſurrexit. Sanguinem hic, cædes & incendia, fædas cadauerum ſtrues, & hiantia corporum vulnera, vt ſitit & ambit; ita ex ſolis nonniſi corporibus, in tabo & fauilla triumphat: at ille ſuauiſsimus in pace animorum victor, roſis & gemmis coronatus Alcides, non Leonis Nemæi pelle hiſpidus, ſed totus Iolen ſuam cogitans, mentium ſpolia poſcit, & libertatis humanæ compedes circumfert; dum potiſsimã hominis partem, quæ Cælis cognata eſt, Intelligẽtiam nimirũ & Voluntatẽ, inter amantiſſimæ captiuitatis ergaſtula claudit. Triũphâſſe Orbem terrarũ vſq; ad Perſidem & Indos, macerâſſe & domuiſſe Punico aſtu indomita Alpiũ iuga, vinctos poſt terga Perſeos ante currum triumphalem egiſſe, non ideo animos eſt viciſſe, vel mentem humanã ad caueam Baiaſetis damnâſſe, ſupereminet illa faſtigijs omnibus, excedit altitudinem Nubium, infert ſe Cæleſtibus cum Ganymede menſis, intrat Senaculum & Conclaue Divorum; domina ſui, rerum humanarum arbitra, fortunæ ſcopulus, tyrannidis victrix, triũphata nunquàm; niſi cùm ipſa animum deſpondiſſet, vel à ſeipſa degenerâſſet: nec imperij vllius patiens, niſi quod ab amantiũ manu placida venit. Ceſsêre omnia fatis, quæ Orbi fatalia & luctuoſa fuêre, comminuit abſq; manibus de petra exciſus lapillus, aurum, argentum, æs, ferrum, & teſtam, in prodigioſis Babylonicæ potentiæ Statuis. diſparuêre à facie Venti vrentis Regna, quæ plurimis Monarchijs euerſis ſteterant; nec Cæſarem ſuum

cellæ agnoſcunt Capitolinæ, quas ſpolijs Gentium & auri talentis impleverat. Sed durant viuaciſſima, ſtant immobilia, perennant æternùm manſura, quæ ſincerus Amor, illibata gratia, animorumq; coniunctio, ſtruxit, poliuit, cõſumauit. Licet illi quòd Gradiuo nõ licet; quia ferox eſt, opera eius coacta, extorta, violenta, ſpiritum vitæ non habens, ſed furoris: nec animatur leni flamine ad Etheſias, ſed turbine Aquilonari ad procellas. Miſerùm eſt viuere, inter fulmina mortis; infidum quieſcere, inter hiatus & voragines periculi; formidãdum ducere ſpiritum, in ore gladij. Illa demùm vita eſt, illa medulla vitæ, & triumphorum felicitas; viuere, ſpirare, vincere, triumphare, inter dulcia mentium vnitarum ſpiramina, inter halcyonia pacis, inter Trophæa, Roſis & Gemmis coronati Amoris. Hoc genus victoriæ, placidum & amabile, inter Hymenæos Veſtros Orbis Polonus plauſu maximo excipit, ILLVSTRISSIMI NEOSPONSI; apud quos tota ratio victoriæ eſt, quàm maxime vinci. Inſedit truculentam belluã, ILLVSTRISSIMA PRZYIEMSCIORVM VIRGO, ſed dirigit eam & frenat, non Vulcani lupatis; ſed zonulâ virgineâ auro & gemmis collucente; vt oſtendat quòd expanſis manib9 ad applauſum properet. Exaſciauit ILLVSTRISSIMA TARŁOVIORVM Bipennis, terribilem aciem ſuam; ſed nõ vt cadant, cædua deuictorum capita; non vt Cyrus in vtre ſanguineo, cruorẽ quem ſitijt bibat; non vt Romanæ Secures, inter Faſces Conſulares diſſecandis ceruicibus micent; ſed ut, ſplendidiſſimo nitore ſuo, alliciat ad gratiam, invitet ad triumphum. VIRAGO RAVICIA, ſupra omnes Camillas ſpirat, ſupra Pentheſileas, robore maſculo eminet; nec Apros Erymanthios, ſed Vrſas feroces Britanniæ domat; metuenda tamen feris eſt, non hominibus; ad quos è ſpelæis & teſquis ſylueſtribus, per coniunctiſſimi affectus veſtigia tendit. Ad Aſciam illi mellitum iter eſt, huc nobiles paſſus perurget, huc pulcherrimo tramite fertur; vt in Trophæo Connubiali, Victricem Coronati Amoris, hâc aureâ Bipenni erigat Maieſtatem. Opus hoc excellentiſſimum ſupra omnia Septizonia, & ſupra Pyramides, Arcusq; Triumphales iturum: Orbem attonitum non reddet, ſed plaudentem, quia opus amoris eſt. Maieſtas hæc, non perſtringet oculos, fulgura ex altò coruſcantia non mittet, nec imitabitur Iovem, cum maximè tonat. Vna Herois, tota gemmea, tota roſcida, Idalio ſpecioſa vultu; Maieſtatem hîc loquetur, quam hilares gratiæ, & oracula cordium Virginei Pronuba pudoris lo-

quun-

quuntur. Victrix ergo Triumphalis Asciæ, prodeat hæc Bellona, non instructâ acie terrens; non castris valloq; munita, nec sæuum ciens in prælia Martem; sed placidissimo aspectu, & extensis in Cœlum manibus, hoc agens; vt protestetur, nihil se velle, nisi animorum gratias, nisi viscera cordium, & ex mutuo affectu, manubias Triumphales. Vestra hæc Illustrissimi NEOSPONSI Magnificentia, Vester erit triumphus, & in eo Trophæum satis heroicum; nimirùm, ab Heroide PRZYIEMSCIANA erectum, satis exasciatum; nimirùm, tota myriade annorum & meritorum, ab Augusta TARŁOVIORVM ASCIA perpolitum: in quo triumphabitis, nouo Amoris paradoxo, Ambo Victores & Victi; è cortina Vestra Nuptiali, à me in Orbis faciem, paranympho calami obsequio producti.

Operum ingentium prodigia, ad stuporem omnis æui elaborata, & eousq; magnificentiæ producta; vt animorum æstimatione capi non posse meruerint, delicatis tribuere manibus, & inter floralium curas molliores censere, piaculum esset; nisi in tot augustis, inter Semiramides & Artemisias operibus, Orbe coram id profiteri, conuicta iam olim Vetustas non erubuisset. Mares animos sequior non exuit sexus, vt Viros indole vincat, vt Endymiones & Sybaritas confundat; vt ostendat, Achillem quoq; sub peplo & tænia condi; nec Diuam Parrhasiam, absq; ægide, galea, & sarissa, inter Cecropidas, nec Dianam, inter Ephesinas columnas, absq; venabulo spectari. Gentium dominia, bellorum fragores, victoriarum Trophæa, eductæ cælotenùs, & ereptæ humanis obtutibus moles, à delicatis manibus provenêre, non ad delicias; sed ad Orbis masculum robur, & stuporem. Delicatior fuit in Adonide cerussa, in Paride chlamys, in Ganymede prætexta, quàm thorax in Bellona, chalybs in Clælia, in Cornelia virtus. Non vnus sanè sub clauo trabali ingemuit Sisara, trasfixusq; tempora ferro, æternũ soporem ab illis orsus est manibus, ex quibus muræenulæ & dextrariola pependerê. Non vnus, in roseo Dalilæ sinu, & cæsariem, & Cæsare maiorem Virtutem, deposuit Samson. Non vna truncum Holofernis conopeo inuoluit, vnoq; pugione, totiùs Orientis transfixit viscera Bethuliæ Heroina. Verùm hæc, cruentis cædibus maduêre; & erexêre Trophæa interitu populorum formidãda. Longè illa pulchriora, & augustiora sunt; quæ dulcibus quæsita armis, hilaribus consumata gratijs, in Coronatum suauissimi Amo-

ris, per Iunones Pronubas; surrexêre Trophæum. Mausolea Cariæ, Muri Babylonij, contra omnem Gradiuum contumaces; locuti sunt olim Heroinas suas; sed nunc siluêre æternum, & in ruderibus suis, infami pedum calcaneo teruntur. Peltatæ Scytharum Triumphatrices, cum inani sonitu, in Tanaim suum descenderunt. Ægyptus, pretia Regnorum in vno poculi vnione, amplius non bibit, cruor, rabies, fastus, exosa mortalibus, ab immortalitate proscripta sunt. At quòd inuenit Amor, composuit beneuolentia, vnio mentium firmauit, ætatem habet, & sæcula vincit; atq; in molem omnium sæculorum attollitur magnificentissimam. Hanc Tibi RAVICIA VIRAGO, à sæculo immemorabili debet; Antiquissima & Illustrissima DOMVS PRZYIEMSCIANA. Tu quidem Regios Ortus Tuos duxisti, à diuisis extremo Orbe Britannis; sed non diuiso à Sarmatis amore, qui etiam sub frigidissimo Axe, in bella feruentius calet. Nocuit Tibi, quòd Regum Filia fueris; quòd Fraterna opum ingluuies, Te in offam mortis destinauerit; quòd Purpuram & Maiestatem Natalium Tuorum induta, ad lacernam vsq; damnari coacta fueris. Sed non nocuit innocentiæ catabulum, virginitati bellua, fiduciæ in DEO ferocia, teneriori sexui, tenerior hominibus Vrsa. Hæc illa profectò Vrsa Cœlestis fuerat, quæ Cynosuram splendidissimam habet, quæ curru inter sydera triumphali vehitur, quæ Cælestem in Te Virtutem, pudicitiam nempe: profundo cultu venerata, non tetigit, quod cæleste fuerat; & cùm Tibi in voracissimum sepulchrum cedere debuisset; ecce quomodo facta est, in Currū gloriæ Tuæ Triumphalem. Stupeat Orbis, mirentur sæcula, os claudat digito nimiùm ambitiosa Vetustas; quæ plenis buccis Heroinarum suarum prodigia crepat. Sufficit hæc vna Virgo, vt in Theatrum & magnitudinem gloriæ prodeat, quæ ex belluis triumphat: quæ castâ Zonulâ suâ captiuat, non vrsas sed Heroas, cui aciem suam, non Quirineæ Secures, sed Illustrissimæ STARZARVM inclinauêre BIPENNES. Angelicam hanc castimoniam, & castimoniæ victoriam, Anglia genuit, Germania excepit, Bohemia fouit, coronauit Polonia; quidni eam ASCIA dulciter ambiat, quam Regiæ Virginis insignia decent: cùm & ipsa, Regni in Orbe Poloni, prima posuerit fundamenta. Sanguinis ergò Tui ILLVSTRISSIME NEOSPONSE, ab hac Regia Virgine, satis augustæ cunæ & fasciolæ sunt; sed evolvere illas, angusti oris, & calami nō

est:

est: quem tanta sæculorum antiquitas, & superat & absorbet. Liceat saltem eas, ab amabili Nomine, quia à KOCHANO VRSINORVM Familiæ inter Bohemos Principe, auspicari. Parebat tùm Primo Coronato Capiti suo, nimirùm BOLESLAO CHABRI, Regi bellicosissimo Polonia, ponebat columnas, ad Albim & Borysthenem, terminos dominij, sed non terminos victoriæ. pugnabat pro Sacro Brachio, Divi Adalberti Martyris, Otthoni Imperatori donato, brachium Divinæ potentiæ excelsum; cumq; Gentes in circuitu sentirent victorem tanti Principis Martem, læsam eius patientiam, etiam Bohemia sensit. Cùm enim BOLESLAVM, contumax Gentis illius genius irritâsset; iuit cum euaginato gladio, Bellator Princeps, in media eius viscera, Pragaq; Regni sede occupatâ; vicinitatis iura frāgenti, vicini dominij iura & frena Bohemiæ imposuit. Perculerat fulmen illud exterritas Consanguinei Populi mentes; sed & vicerat beneuoli Principis Amor; apud quem, vt inter Primores esse mereretur, primus ad eum festinauit, Vrsinæ Familiæ Primas KOCHANVS, secutusq; Regem Victorem, Regiam quoq; Heroidem suam, trāstulit in Poloniam, innumeris victoriarum laureis, sub inuicto Principe coronatam. Inde VRSINI, ex Anglis & Bohemis, Sarmatæ facti; non ij quidem, qui in Lithuanicas oras, cum Romanis Columnis exacti venerunt; sed qui spontè, Sarmaticas Oras, & Nobilissimas mentes dilexerunt: RAVITÆq; ab eo Prouinciarum tractu, quem Raua flumen alluit appellati, Nomen & Genus suum Illustrissimum, per stirpes & Propagines latè diffusas produxêre. Lucent quippè ad hæc vsq; tempora, splendidissima Arctois RAVICZIANÆ, Polo Sarmatico insertæ decora, in Natalibus DEMBINSCIORVM, GROTHORVM, GNIEVOSZORVM, longo sæculorum tractu, radiantia Ceris; quorum augusta vereq; heroica Virtus, splendidum omne Maiestateq; suâ decorum complexa; nouit semper clarum Patriæ accendere diem. Sed maximè lucidissimæ huius Cynosuræ, per varia Orbis Europæi clymata diffusi splendores, in Tua concētrati Domo, magna Heroidis RAVICZIANÆ Propago, singulari etiā modo intra Tui Nominis clauduntur ambitū, capacissimū tantorum luminū centrū Nobilissime PRZYIEMSCIORVM Sanguis. Pridem resplenduit in Te, æuiternâ sui memoriâ hucusq; in animis seræ posteritatis coruscans ingens Tuæ claritudinis radius; Illustrissimus olim ALBERTVS

PRZYIEMSKI Castellanus Lanciciensis an veriùs dicam; eruditâ luce, aureo virtutum & consiliorum nitore, in solio Senatus Poloni fulgentissimus Sol. Geminauit tanti Viri splendorem, Antesignanus gloriæ Maiorum Tuorum, celsissimi animi dotibus, & Senatoriæ Purpuræ fulgoribus, ceu gemmis collucens; Illustrissimus RAPHAEL PRZYIEMSKI, álter Castellanus Lanciciensis, & nomine Angelus, & salubri consiliorum medelâ verè RAPHAEL prudens Reipublicæ Podalyrius. Bina hæc vivis luminibus coruscantia Patriæ sydera, Gemini Fratres Tyndaridæ, Castor & Pollux tantùm Senatui Polono splendoris, tantùm lucidâ semperq; serenâ virtute suâ claritudinis attulêre, quantam prisca olim Romani Senaculi Nomina, Marcelli aut Marij, nunquàm Orbi Hesperio dedêre Magnificentiam. Stupet hucusq; attonita Polonia, quorum tanto tempore, mirari satis haud potuit, masculum consiliorum robur, cuiuis labantis Patriæ sufferendo oneri par, Maiestatemq; oris, non ad speciem compositam, aut superficietenùs splendidã; grãde ostẽtationis, sed leue Reipublicæ vtilitatis argumẽntum: ast graui verborum instructam pondere, tanquam ex Tripode, & animorum sententia dictam. Non sinit animo effluere, aut longa temporum caligine obliterari grata Nomini illorũ posteritas: quorum memori pectore, signatum habet, boni publici zelum, non otiosum, aut persæpe frigidum; sed mentis feruorem pro Patriæ integritate & communi Reipublicæ bono, cuiusuis moræ impatientem, neq; vllo sinistro respectu extinguẽdum, ipsâ Siculâ ardentiorem Æthna. Resplenduit tunc, augusta facies Poloniæ, cui adeò pulchrè renidens, sine vlla caligine, à Senatoria PRZYIEMSCIORVM Purpura, reluxerat fulgor. effloruit candidiùs, à multis retro sæculis, sẽper vernans semper floridum in Virili PRZYIEMSCIORVM Toga, Sarmatarũ nomẽ; cui tã affluens, ex Auito sanguine, perẽnitatis aduenit vigor: maturuit deniq; inclyta Polonorum Virtus; cui ab illo geminato mentium Sole, ingens consilij maturitas & perfectio. Ducit in obsequium vectigalem honori suo calamum, pedissequa immortalis gloriæ, centum linguis iactabunda fama, dulcis memoriæ STANISLAI PRZYIEMSKI, Cohortium Militarium Ductoris, omni æuo celeberrimi. Processit fortissimus hic pro Patriæ integritate, Heroum Epaminundas; contra Moschouiticæ potentiæ stupendas vires, illo spiritu animatus, quo magnanimum Thebanorum Ducis pectus, hostium agminibus

nibus

nibus oppositum, hucusq; attonitus deprædicat Orbis. Spectauerunt imperterritum contra quosuis aduersæ potentiæ impetus animi illius robur, bellorum periculis enutritam Virtutem viderunt Serenissimi Poloniarum Monarchæ, SIGISMVNDVS AVGVSTVS, & STEPHANVS BATHOREVS, quæ victricibus Palmis & trophæis Martialibus in summum deducta, tantùm eminuit; vt ab ipsa Regia manu sibi imposito Præfecturæ Camenecensis insigniri honore meruerit. Exstat hucusq; grande PRZYIEMSCIORVM virtutis exemplar, calentissimi affectûs erga Patriam vnicum documẽtum effusus in bello Moschouitico CHRISTOPHORI PRZYIEMSKI fortium Virorum ocelli Generosus Sanguis, cuius augustos manes à gelido Septemtrione non reuoco; loquitur ille abundè quantùm laudis, quãtùm apud posthuma sæcula amoris meruerit; cuius sitientissimũ gestorum immortalium zelum cùm nec hyperborei rigidi Aquilonis flatus extinguere, nec constricta Boreali frigore gelidissimi Trionis tellus liberum pectus compede glaciali coarctare valuerit; solum extinxit & obruit copiosè inundans acinaces Moschouiticos cruentum diluuium. Non poterit ergo latere etiam sub concreta brumali frigore terra fama superstes Nominis PRZYIEMSCII, imò florebit candidiùs inter albicantes niuium pruinas sanguinis eius Purpura; effusus verò pro Patria Spiritus, erit anima loquens, & spiraculum gestorum illius, ardentior igniculis Promethei contra Moschos animi eius flãma; erit lucidissima Poli Sarmatici Helice, in Gentilitijs PRZYIEMSCIORVM splendoribus, nullius obliuionis extinguenda caligine, erecta immortalis gloriæ Pharus. Hîc iam assurgere, Magno Nomini Tuo minimam suadam meam in Panegyres iubet Caduceus Tuus, qui Curias Regum & Maiestatis negotia direxit, Illustrissime ANDREA PRZYIEMSKI, Mareschalce Curiæ Regni, Kuninensis Koualscensis Præfecte. quãtum felici regimine Tuo & multiplici cura retinuerit florem, Curia Regum, non vnius Panegyris, nec calami huius tenerioris, opus est. Loquatur de Te illa Maiestas Aulæ, ille Reipublicæ decor Tuo concreditus Magisterio, & sub Tua directrice manu, factus omnis splendoris omnis Magnificentiæ amplissimum theatrum. Loquatur & vocale illud animi Tui Palatium quanto splendore intus & extra decorũ, quàm Magnifico opere ad stuporem sæculi elaboratum, quàm altum sublimibus Virtutum columnis, quàm conspicuum micante

 probi-

probitatis auro quàm nitidum argenteo mentis ebore, quàm pulchrè distinctum collucentibus rectefactorum gemmis fuerit; vt Regia Virtutum illius, veriùs Solis Regia ignibus Cælorum æmula esse videretur. Sed pondus hoc ingentium Curiæ Regni laborum, non tàm viribus labans; quàm annis vrgentibus cùm liberè resignâsset: post turbines & curarum procellas, halcyonia agere constituit, & interstitia à laboribus bonis mentibus amica servare animo proposuit. Verùm aliter tenacem propositi Virum Superûm placita disposuêre, aliter emerita Virtus optantibus cunctis visendùm exhibuit Orbi Polono PRZYIEMSCIVM; quando maioribus destinatum honoribus, Senatorijs admouit Curulibus, & Gnesnensis Castellanatus fulgenti Purpura condecorauit. Vbi quàm Illustris non tàm honoris nouitate & accessione, quàm potiùs splendidâ virtutum luce eminuerit; quanta Togati Senatus particeps factus laboranti Patriæ dederit consilia quæ tamdiu antea direxerat; Orbis de eo iudicium, & coæuam PRZYIEMSCIO Magnorum Poloniæ Senatorũ fidem appello. Suscepit pari humero, ingentes tanti Patris curas succedens Herculi Athlas, Illustrissimus STANISLAVS PRZYIEMSKI, Mareschalcus Curiæ Regni Generalis Maioris Poloniæ, Auus Tuus ILLVSTRISSIME NEOSPONSE. Absolutissima hæc Virtutũ idea, boni publici amore ardens Flaminius, veri & æqui propugnator fortissimus, tantùm æstimationis apud Principes, tantùm amoris & authoritatis inter Ciues Patriæ habuit, vt in vnico eius pectore cõpendiatos honorum splẽdores intueri nullius Zoili oculus inuideret. Quippe nec habuêre in tanto Heroe quò pertingerent maleuolorum tela, aut vbi Virtutis Comes dominaretur inuidia; cùm totum sibi merita PRZYIEMSCII vendicâssent. Cui non subito passu, aut per aliorum fastidia ad honoris eluctari fastigia commune erat; sed per quæsitum longo tempore Orbis Europæi cultum, per impensa Regibus obsequia, per toties obiectam hostibus inuictam animi fortitudinem, maximis emeritæ Virtutis gradibus summa honorum assequi subsellia peculiare fuerat. Primus honoris illius gradus Præfectura Koninensis, in pignus probatæ per tot annos Regibus dexteritatis in eum collata, vltroq́; adeò emeritum illius caput ambiens coronare; quòd nihil in illo ætatis flore, nisi Coronis dignum agere, iudice virtute nouisset. Verùm non hîc meta aut terminale non plus vltra honorum, altiùs assurgit, quem non populares

auræ,

auræ, aut Principum fauores attollunt, sed Virtus excelsa sublimat, oculisq; omnium eripiens celsissimas animi eius dotes, eò infert; quò nonnisi probitas aut rectefactorũ conscientia pertingere potest. Hæc ergo dedit album calculum STANISLAO PRZYIEMSKI, ut post Mareschalcus Curiæ Regni, & Maioris Poloniæ Generalis dignissimus efficeretur. Gaudebat suo tàm excellenti bono Maior Polonia, tàm insigni Mareschalco Curia Regni. viderunt magnum Iustitiæ Præsidem Castra, æquissimum jurium & legum obseruatorem Iudicia, acerrimùm Maiestaris Custodem Regum Palatia, splendidissimum Curiæ Solem, Poloni Senatus Proceres vniuersi. Floruit tanto Præside justitiæ vigor, fuit vbique pax & securitas publica, triumphauit deniq; in Gentilitio eius VRSINO Astræa Virgo, quæ nè sola tantùm, aut propiorem in stellato Cœli baltheo ancipiti Libræ locum haberet, aut ipsa æquam bilancem manibus gestare videretur, etiam in Sarmatico Olympo, æqui iustiq; stateram Gentilitiæ suæ Viraginis manibus pendulam effecit PRZYIEMSCIVS. Deniq; tanto Virtutum apparatu instructum pectus suum, & multiplici Divæ Themidis firmatum præsidio, adeo coniunctum indissolubili charitatis vinculo Superis fidumq; DEO reddidit Anima illa Sancta, vt hæreditati suæ cælitùs adscriptam, non Dodonæam aut fatidicam; sed Cœlorum Reginæ ZDZIESZOVIENSEM ad Oppidũ Borek syluam, pietate in Deiparam Virginem ardentem flammisq; deuotæ mentis incensum Orbi Polono exhibuerit rogum. Quippe Diuinum illud Maioris Poloniæ Pantheon, tantùm decoris, tantùm Maiestatis à liberali PRZYIEMSCII manu sortitũ est, vt plãtationem hanc Cœlestis in terra Paradysi non tantùm primus auxerit sumtuoseq; dilatauerit, numerosâ Sacerdotum coronâ magnificam, iucundo concentu dulciq; harmoniâ suauem, Orphæis & Amphionibus instructam reddiderit; verùm etiam amplissimis gratijs & priuilegijs, Romæ à Vaticana Summorum Pontificum sede impetratis dotatam, ipsum deniq; Divæ Virginis Paludamentũ, auri & argenti effuso pondere tam graue & splendidum effecerit; ut omnes Principũ gazas, omnia mundi decora, Maiestate suâ liberalitate & magnificentiâ PRZYIEMSCIORVM superâsse hucusq; videatur. Inter tantos Maiorum Tuorum splendores, iuuat meminisse Bellatoris illius maximi ALBERTI PRZYIEMSKI, Castrorum Præfecti, post Gnesnensis Castellani, cuius genitrix im-

mortalitatis fama maior poſt cineres, viuaxq; virtus expers fatalis ſepulchri, habet notitiam ſeræ poſteritatis; pulſatq; dulci recordatione animum meum tonitru illud bellicum, quod fulmineo ictu toties hoſtilem perſtrinxit aciem, quoties Polonus Mars, arma virumq; canens deterſa ferro rubigine, ſæuo indueretur ſplendore, quoties innutrita illa Caſtris anima, ferrum & hoſticum omne experta, Caſtris Regni Exercituũ (quod ſumma virtus eius popoſcit) præeſſe videretur, tantoq; poſt ſplendidiorem Polonus hic Marcellus, inter Curules Senatorias Purpuram induere meruit, quantò eandem millies in ſanguine Otthomanico cruentauit. Quem, licet inuida viris fortibus fata, rapaceſq; Lacheſis manus, ſarcophago mortalitatis inuolutum, Coronis & Palmis victricibus, Purpura deniq; & vita ſpoliatum è medio Reipublicæ ſuſtulerint, non omnem tamen illius memoriam mortis caligo deleuit, non omnem partem gloriæ, prædatrix Libitina abſtulit. Viuit ille meliore ſui parte etiam poſt funera ſuperſtes, quem Bellatrix tanti Martis Amazon, iuſtis à morte eximit vindicijs, Illuſtriſſima SOPHIA de Przeyma Nobiliſſimus Magni Sanguinis flos, transfuſusq; in bonam mentem Generoſi Patris ſpiritus, heroicarum virtutum imago, Matronarum ævi illius decus & delicium, quæ KOSTKANÆ Cœliſq; conſanguineæ Domui vltimo Hæredi nupta, illoq; (ſic volentibus Superis) in pretioſam æternitatis Coronam tranſlato cùm Illuſtriſſimo IOANNI de Bnin OPALINSKI Palatino Caliſſienſi, nimiùm dilecta in Connubialem ceſſerit Coronam; immortalis gloriæ plena, pietate in Zdźieſzouienſe Magnæ Virginis Sacrarium inſignis, ærario probitatis opulenta, in Gentilitia Argo illius turbidum hoc emenſa æquor, iam in littus æternitatis ſubducta, bonis auibus Cœleſtis Patriæ optatum cum illo attigit Portum. Non quærit evectos in ſublime Athlantum vertices, quin Olympum trãſcendat gloriâ Celſitudinis ſuæ grande illud Bellonæ ſpectaculum, decus & tutela Poloni Nominis, inſuperabile bello caput, SIGISMVNDVS PRZYIEMSKI Notarius Campeſtris, & Armamẽtorum Regni Præfectus, cuius per campos Batovienſes, calet adhuc Nobiliſſimi Sanguinis Purpura, & extinctus licet ſpiritus, vivit tamen in cordibus omniũ, qui totus cor & anima Gradiui fuerat. Eminet, ille infra cuius verticem omnes Statuæ & Coloſſi, & quem recte factorum cõſcientia, ſupra omnes gloriæ vertices attollit; meritis bello paceq; tam ingentibus, vt ſcribentibus de ſe pro elogio

impe-

imperet silentium. Nullus quippe sæculi nostri Gradivus, nulla bellorum moles exstitit: quæ Athlanti huic cadentis Patriæ, non incūberet, vsq; ad laureas & triumphos. Iuit ille intrepidus, contra Scythicum & Cosacicum furorem, factus Lechicæ Gentis Murus Aheneus, Sarmatici Gradiui comes, vis & spiritus, hâc infelici temporum reuolutione, quâ Parricida ille & immanis helluo Christiani sanguinis, nimirùm Timotheus, Chmielnicio proli suæ sceleratæ Epithalamicos ignes accendere cogitans, eoq; infelici prætextu, contractis copijs, & evocato in Campestria Nuradino; atrox Poloniæ, vsq; ad Cineres & favillas, lectissimi Exercitûs Sármatarū causauit incendiū, floremq; Heroū nobilissimum, in vno oculi ictu, ceu acuto Saturni invento, in Campis Batouiensibus succidit & demessuit, vt ex hac ferrea Gradiui, & pilorum mortem sibi minantium segete, nobiles Polonis, in fatalibus campis, excrescerent Palmæ. Nunquam tamen funestum hoc Poloni Exercitus Ilium, fatalem Schytharum & Cosacorum sensisset Vulcanum, si res, quæ iam fatis vrgentibus in præceps ibat, ex invicti animi eius sententia, & heroicæ mentis consilio stetisset. Orabat quippe, & vultu illo, ac spiritu Mavortio obtestabatur eos; penes quos tum summa rei bellicæ fuerat: vt subducto Equitatu, floreq; hoc Virorum Patriæ, & rebus melioribus seruato, pedes interea, cui ille præfuit, vim hostis sustinendo, intra Valla maneret, modo apparatus belli, & annona obsessis sufficeret; sicq; experiri cupiens, quid virtus Polona, quid temeritas hostium amplius posset, vallo ac operibus inclusus, gemino Mense aduersam vim sustinere promittebat. Perorabat pro illo ingentis animi spiritus, heroica omnia spondens, & iam in opera bellica audentiùs prorumpens. Sed versis alio consilijs, obfirmatoq; in nouissima Campiducis animo, qui tantùm sibi credebat experturus, quantū cæteris posset, cui in omnes imperium: & cùm iam immanis clades nostris ceruicibus incumberet; horrendaq; strages momento omnia consumeret, non tulit audaciam PRZYIEMSCIVS, ac ne in verbis, quàm actu flagrantior esset, se cum peditatu obijcit, & omne suorū robur, in aduersos vertendo, dùm strenuè pugnat, immemor sui & prodigus magnæ animæ, memor gloriæ atq; Patriæ, mortem antiquis Ducibus formidandam, intrepidè tulit. satis iudicans ad vitam, se potuisse, fortiter pro Patria mori, & sanguinis pretio, thesaurum æternitatis cōparare. Cæcidisti cum alijs Heroibus magne PRZYIEMSKI factus hostibus Victima, sed vt æternùm, datus sæculis o-

mnibus

mnibus in exemplum, tantus & tam amans Patriæ Heros sine exemplo, memoriâ famâque Nominis Tui immortali stares, stabilsque summâ virtute & gloriâ inextinctus, cui in Coronam æuiternam stat erectum in cordibus omnium non alicuius Artemisiæ; sed Tuæ manibus Heroidis immortalitati exstructum Mausoleum Triumphale. Verùm euocant adhuc in sui panegyrim, etiam mutos & elingues Memnonas animantes Clarissimorũ Virorum maiores in occasu, prout & solis radij, ingentes stimuli dictionis meæ; non tàm auitis Maiorum imaginibus, quàm virtute propria præcellentisq; animi cultissimis dotibus Orbem Sarmaticũ illustrantes, Purpurati Patres. ac in sellis Curulibus Censorini & Nasicæ, CHRISTOHORVS & PETRVS PRZYIEMSCIj, Culmensis & Sremensis Castellani. Quales quantiq; fuerint, quàm eximiè cumulati omni genere laudum, quàm conspicui illustri in Rempublicam meritorum fama, quâ valuerint apud Reges gratiâ, apud omnes authoritate, quàm fuerint excellenti in Deum fide, quâ prudentia & pietate præcelluerint; quãta Reipublicæ & quâm salubria dederint consilia, quo Patriæ amore incensi eandem â Suecico Leone toties defensã & malis ingentib9 ereptã seruauerint, quàm deniq; admirabili eruditione ornati, & recondita singulariq; Literatura perpoliti claruerint: si hæc omnia recensere mihi animus esset, haud aliud profectò mihi faciendũ putarẽ, quàm male feriatus ille, qui solem ipsum lucidissimum mundi oculum illustrare malignâ candelæ luce molitetur. Leguntur vestigia hæc virtutis & famæ illorum, in depositis ad magnæ Virginis Zdźieszouiensis pedes augustis Cineribus; nõ leuiter ad exigui temporis prædicationem impressa, sed fixa firmiter ad memoriam sæculorum omnium sempiternam. Ast Tu mihi iam mentem inuolas, qvi dulci recentis memoriæ spiraculo amantiũ Patriæ Ciuium pectora reficis, splẽdidissima Heroidis PRZYIEMSCIANÆ Corona, non vnius sæculi famam complexus, & victrici Maiestate Tua oculos euerberans, in gloriæ Maiorum Tuorum Theatrum visendus progrederis ANDREA PRZYIEMSKI Vexillifer Calissiensis, Magne Neosponsi Parens. Sed infers Tecum, Magnorum Progenitorum, STANISLAI PRZYIEMSKI, Curiæ Regni Mareschalci, & ANNÆ OPALINIÆ viuis coloribus adumbratam imaginem: quam in Te, morum suauitate, omniq; Virtutis elegantia adeò expressisti; vt nitidissimuum Magnæ mentis eius speculum, & accurata excelsi animi idea esse videaris.

dearis. Maior tamen titulis omnibus ex Teipſo æſtimandus appares: qui acceptam à maioribus lucem, fauſtis Tuis ſub penetralibus non fouiſti tantùm; ſed præclaris Tuis facinoribus ſplendidam, curiſq; publicis æternùm deuotam adeo dilataſti: vt rectefactorũ Tuorũ cõſcientia, Orbem Polonũ, procul dubio & aſsẽtatione illuſtraueris. Maxima certè dicentium de Te panegyris eſt Sacrarium virtutis Tuæ verè auguſtum, verè heroicum, quod Americi Veſputij Conchæ, centum & triginta vniones in ſe continentis pretium, admirabili naturæ & virtutũ copia affluens vicit & exceſſit, in quo illibatæ mentis candor, ſincera bonorum congeries, mores meliore metallo ducti, amor æqui iuſtiq; reuerentia, læta grauitas & mentis pondus amabile, boni publici incomparabilis amor, pietas Diuino cultui impenſiùs addicta, honoris Mariani pectus zelantiſſimum, ordine pulcherrimo diſtincta videbantur. Voluiſti tamen omnia hæc non uulgaria geſtorum Tuorum decora, ſub Gentilitia Dolegarum Roſa, Kretkouiæ & Sokolouiæ Domûs Nobiliſſimo Sanguine CATHARINA PRZYIEMSKA Cõſorte Tua lectiſſima, ita latere; vt Orbis ſecretum effugerent. verùm immortalia facta Tua, auguſto hoc ſanguinis inuolucro tegi non potuerunt, aſt arcano quodam fatorum conſilio ceſsêre Tibi in decus, & perenne Domûs Tuæ ornamentum: imo celata ſub hoc Connubiali decore, auguſtiùs Tibi effloruerunt in ſpecioſam virtutum meritorumq; Tuorum Coronam. Adſcripti ſunt Conſanguinitatis vinculo flori huic Magni Comites ROZDRAZEVII ſpecioſiſſimæ Poloni Hymetti Roſæ quæ gratiſſimo famæ ſuæ odore, Sarmaticum Orbem hucuſq; reficiunt. Sed quis demum ſingula Domus veſtræ ornamenta ediſſerat? quorum laudibus non in nucleo Homeri Ilias, ſed tota Sibyllæ folia parum eſſent. Quis Sanguinis Veſtri decora nexuſq; auguſtos per ſumma Proſapiarum capita ductos, enumerando recenſeat? Quis CZARNKOVIOS, GRVDZIENSCIOS, OPALINIOS, LESCZENSCIOS DZIAŁYNSCIOS, GEMBICIOS, in PRZYIEMSCIANAM DOMVM longa cognatione deſcendentes, ex toto complectatur & ſingulos reuoluat? quorum vel ipſa Nomina Orbi proferre, Panegyres dicere eſt & Coronas. Ex tàm heroico Maiorũ ſpiraculo indolẽ excelſam & geniũ Vrsino dignum hauſiſti, æui Noſtri deliciũ, PRZYIEMSCIANÆ gloriæ tot ſæcula complexus Illuſtriſſime ALEXANDER PRZYIEMSKI, Regni Poloniæ Subdapifer, Neoſponſe Digniſſime; qui vnus omnia Auitæ Domûs lineamẽ-

 ta refers,

ta refers, Maiorum Nomen, Maiorum Anima, vnusq; mensura cæterorum. Non satis fuit magnitudini gloriæ Tuæ, accepisse à Maioribus Sanguinis & Virtutum Magnæ famæ spiraculum, non sufficit ad mensuram Nominis Tui claris Antenatorum gloriari imaginibus; nisi æque proprijs clarere Virtutibus hereditarium Tibi fuisset. Inclaruisti statim in primo Iuuentutis Tuæ flore, quando capacem sapientiæ mentem honestissimis disciplinis pulcherrimè instruxisti, omniq; literatura ita excoluisti; vt Tuis æqualibus incitamentum & stimulus, reliquis stupor & admiratio fieres inter studia literarum. Alij florem virtutis vmbraticos inter lares occultant, ac si ad alieni solis aspectum pristinam amittant elegantiam, quam veriùs Paternos decoquunt ad focos, vmbratiles Animæ nec pulchrioris fortunæ fabri. Tu excelsam mentem Tuam Magno parem sanguini, culturâ ingenij morumq; positissimis dotibus exquisitè instructam, extulisti in lucem publicam generosior Aquila, non vt alieni solis indigus ab exotico splendore Tuæ claritudinis geminares iubar; sed vt domesticum latè diffunderes, Orbiq; Europæo visendum communicares. Apparuisti vel ex eo Magni Nominis ALEXANDER, quia vnicus Tibi non suffecit Orbis; nec Maioris Poloniæ ambitus, satis capaces erant Virtutis & Magnitudinis Tuæ. Ergò quia Vrsino Tuo dulce fuerat Exoticorum prudentiâ erudiri, Augustum mentis Tuæ Capitolium virtutumq; omnium Pantheon Vrbi Capitolinæ intulisti: non vt ibi ceu in Perside cum Pelleo Iuuene nomen quæreres, quod satis clarũ domi habuisti: non vt Tua velut Alcidæ trophæa sub alieno sole maturescerẽt, cum antea satis Te grauem & maturũ moribus, in immatura licet ætate Polonia viderit: non vt cum Iasone clarior periculis inde euaderes; cum iam in Patria satis clarus animi dexteritate appareres; sed quia Magnitudo animi Tui, natalis soli angustijs Patrijsq; Penatibus non potuit detineri. Recreasti tandem dulcedine præsentiæ Tuæ mæsta Patriæ viscera redux fortunatus qui expectationi publicæ maximũ Tecum aduexisti solatium, cum quidquid Terrarũ & Gentium, ad formandã animorũ elegantiã Orbis Europæus ambitu suo cõplectitur, totum id in vsum & profectum Tuum cõuertens, demum obsequijs Patriæ & vtilitati Reipublicæ alacriter impẽdisti. Vidit imprimis augusta facies Poloniæ, illudq; spectatissimũ virtutis heroicæ theatrũ, in Comitijs & Cõuentibus publicis maturũ animi Tui vultũ, Maiestatemq; oris verborũ põdere

splen-

ſplendidam; quam toties cum ſtupore omniũ explicaſti, quoties ad Comitia Regni Nuntiũ totq; animorũ Athlantem huic oneri nunquam ſuccumbentẽ gloriosè peregiſti. Suſpexit & leuior Vertumno fallaxq; Moſchua os Tuum aureum, florentẽq; ſuadã demirata eſt illa ſeptemtrionalis plaga; dum Legati functus munere cum magno Sarmatiæ Cynea Grzymultouio Palatino Poſnanienſi, tractâſſes negotia Patriæ cultiſſimus inter barbaras Gentes Demoſthenes, locutuſq; es Maieſtatem Regni Sarmatici & gloriam animo tam ingenti & ore tam auguſto, ceu ipſa regnatrix Maieſtas è faſtigio ſuo loqueretur. Æquaſti demum illuſtribus factis magnitudinem Nominis Tui, impleuiſti erudita animi luce Maiorum ſplendores, coronaſti omnium de Te expectationem gratiſſimo euentu, quando Auitas Maiorum Ceras non permiſiſti inter vitia diffluere, aut ſplendidiſſimæ Natalium Tuorum Cynoſuræ ignobilem obduci nubem, ſed hauſtum à Maioribus Sanguinem pulcherimũ virtutis Tuæ muricem effeciſti! non exulauit tamen hîc, imò nitidiùs adhuc effloruit in Purpura Maiorum eburneus mentis ſuperansq; lilia pectoris Tui candor; verbo dicam, fuiſti ſemper ALEXANDER, non prout nomen ipſum poſtulat, Terror Orbis, ſed amor Ciuium, delicium Populi, ſingulareq; Maioris Poloniæ oblectamentum. Placuit virtus hæc Tua, vereq; Macedonica in agendo dexteritas, in conficiendo felicitas, ſapientiſſimo Poloniarum Moderatori Sereniſſimo IOANNI III. placuit inquam mens Tua cuiuſuis officij gerẽndi capaciſsima, pectus amore Patriæ zelantiſſimum, prudentia maximo par Catoni, animi deniq; magnanimitas digna ALEXANDRO; & nè emeritum in Patria Caput tanti Herois incederet abſq; Corona, Prudentiſſimus Reipublicæ Argus ex alta mentis ſuæ ſpecula proſpexit; dum Te Regni Poloniæ Subdapiferum Digniſſimum effecit. ALEXANDRI olim Magni effigiem, dignam auguſtis operibus ſignandis Cæſarum Auguſtus in ſuo annulo ſculpi voluit; ſed meliùs auguſta Superûm ordinauêre decreta, dum cultiſſimam animi Tui imaginẽ, pretioſæ Coruinorum Annuli gemmæ, nõ Lyſippi alicuiꝰ, aſt Heroidis PRZYIEMSCIANÆ manibꝰ æternùm ſculpi fecerunt. Ad tam auguſtũ quippè Virtutum Tuarum manuſq; Regiæ Coronamentũ, nihil Tibi priùs debebatur, quã nitida Cordis Corona, Magniq; Sanguinis pretioſum Monile, rarior Coruinorum Annuli Gemma, Illuſtriſſima SOPHIA Coruina GASIOWSKA, quæ poſita ut ſignaculũ ſuper Cor Tuum, cùm Tibi fœdere Cõnubi-

ali pectus obsignâsset, nunc improuisa fatorum vi fracto Coruinorum annulo, iam oculis non tamen animis excidens & pretiosæ immortalitatis Coronæ inserta Gemma hæc, vitam sigillo æternitatis consignauit.

Ast dedêre Tibi boni Superi, in solatium & medelam tanti doloris; alteram ab aureo & antiquo Starzarum sæculo lectissimarum Virtutum Sponsam, Magnorum Parentum carissimam Progeniem, & inter reliquas augusti Filiarum Sanguinis teretes gemmas; omnino clariorem Carbunculum THERESSIAM de Szczekarzowice TARŁOVIAM. Cuius Triumphalem Asciam etsi Victrix Tuæ Heroidis Maiestas, expansis ad spolia amoris manibus egerit in triumphum; id tamen delicatam in Regno à tot sæculis Asciæ cerussam minimè deformat, imò quàm pulchrum est illam sic vinciri & tamen eminere non ut olim inter Consulares Romanorum Fasces, sed inter dulces tenerrimi affectus Bellatricis Tuæ amplexus; quàm decorũ & volupe est, eam non Labrodei alicuius Iouis, sed Regijs Rauiczianæ Virginis prætendi manibus, illudq; PRZYIEMSCIANVM inter auspicatos Hymenæi applausus audire occini: Teneo Te Ascia. Amor quippè Triumphator mentium placidus ac suauis, & tamen tot Victoriarum Achilles, cùm imperio suo omnia frenat, est certè inuictus animi Bellator, tot victricibus cordium manubijs, quot debellatis amantium affectibus diues, sed quàm dulcis est & Asciæ ex voto illius inter amicas Tuæ Amazonis palmas omnium Nobilissima victoriæ Palma, quàm leue subeunti aureum Maritale jugum; si vincula hæc amantissimæ captiuitatis, adamantinas libertatis suæ reputat compedes, & felicioris fortunæ Arcadios nexus. Vicisti ergo Illustrissime Neosponse amicâ manu, quâ iam tenes Triumphatricem tot sæculorum Asciam, sed erigit illa Tibi in augusto pectore Sponsæ, Coronatum Rosis & Gemmis Trophæum, vt Asciam Sarmatici Imperij Architectam, cuius excellentissimo operi exstruendo, ipsi Praxiteli aut Dædalo parem esse intelligas; quæ in fundamentis Regni huius, cum primo Conditore Lecho ingentibus suis meritis fidelissimè laboravit, & hucusque tanto ævi spatio, minimè hebetata acumine suo non desistit operari. Debetur certè illi Corona sæculorum gemmea omniq; principe metallo pretiosior, tanquam Principis in Regno Familiæ insigni Nobilissimo, debetur Regium Sceptri decus & Purpura, quibus ornata resplenduit tunc Coronata in Regno Ascia, quando deficiente Lechi

Prole

Prole(quæ noviter inchoati Regni ſuſtineret gubernaculum,) & in duodecim humeros Palatinorum ſumma rei Polonæ devoluta; Dictator Toporeus inter duodecim Palatinos ſupremum faſtigium occupabat. Maiora certè ſunt hæc Toporeorum decora quàm ſtylo circumſcribi, Illuſtriores Aſciæ ſplendores quàm ingenij acie ſcrutari, antiquior Starzarum gloria non ſæculis aut annis, ſed æuo & æternitate menſuranda, quàm omni memoriâ hominum dignè attigi poſſit. Quis enim vnquam Hiſtoricorum calamus in tantam ſcribendi vim aſſurgere poterit, vt primordia Gentis Veſtræ & antiquiſſimam coæuam Poloniæ originem referat ac explicet? quis ſplendidiſſimum Ferrum hoc, quàm longo in Patria ſplendeſcit ab vſu, inveſtigabit? quis deniq; Archimedes in Sarmatico Olympo, Illuſtriſſima Domûs Veſtræ Lumina, per tot Capita Proſapiarum diffuſa, ceu Stellas rutilantes Primæ in Polonia magnitudinis numerando recenſebit? Amplitudo quippè Familiæ Veſtræ, rerum geſtarum gloria, Senatorum & Heroum numerus ſupra captum omnẽ poſitus, ipſa deniq; rerum & nominum magnitudo, velut nube quadam profundiori ſplendores Veſtros abſcondit, & ſpectatiſſimum Aſciæ jubar humanis eripit obtutibus. Nec ego tam dives aut opulentus haberi volo; vt omnia priſci ævi Toporeorum pretioſa Monilia, levi huic Stateræ appendam; nec tam curioſus indagator eſſe cupio, vt antiqua Maiorum Veſtrorum Nomina, in lucem publicam de monumentis ſuis loco moveam; nec tam amplus ſermone, vt Auguſtos illorum Cineres minimâ ſtyli mei concludam tumbâ; nec deniq; tam perfectus, vt omnes Antenatorum Veſtrorum imagines, cum Apelle, tenuiori paginæ huic inſeram: quibus inſcribendis, vix Cælum in paginam extenſum ſufficere poſſet. Veneror potius Harpocratico inſtituto antiquitate venerandos Starzones & Strazones; Comite proſequor taciturnitate, Magnos in Panigrodz, Luknia, Danaborz, Preginia Comites Toporeos, libens prætereo ſupremos olim Regni Exercituum Imperatores & Præfectos, Palatinos Cracovienſes, Sethegios ſeu Siećiechos, quorum Primus Clauſtri Sieciechouienſis cum Boleslao Chabri Fundator, Magnaq; Patrimonij ſui parte auctor exſtitit Remotiſſima antiquitate obtectos non vindico à tumulo, Zegothas, Novogios, Ottones, Caſtellanos, Palatinos, Cracovienſes & Sandomirienſes, Teczynios Scipiones Lechicos & Sacri Romani Imperij Comites. Oſſolinios Pericles Polonos, quibus Virtutis Corona Ducatus in Oſſolyn, ab

Vrbano VIII, & Principatus S. R. Imperij à Ferdinando II. Imperatore oblata est. Non misceo Tuis laudibus iam pace beata quietos, Religiosissimos Zbylutas; fide illibatâ & amore boni publici incomparabiles Vłostouios Comites Xiaznenses, inuicta animi fortitudine ac singulari pietate celebrandos Korycinios Comites Pilecios, arte & Marte clarissimos Zaklikas, quibus hîc recensendis & enumerandis sæculorum non vrgeo memoriam, nec Diuos tantorũ Heroum manes cælitùs euoco: quiescant augusti illorum Cineres, iam fato suo suisq; honoribꝰ functi, & fastis immortalis famæ inscripti. Sufficient ætati nostræ, qui omnẽ gloriæ meritorumq; mensuram impleuerunt, traducto in se à Maioribus Sanguinis & virtutum magnæ famæ spiraculo, noui Patriæ Camilli: Neorius TARŁO, IOANNES & alter IOANNES, Sandomirienses Palatini ab Ottone de Szczekarzovice Palatino Sandomiriẽsi, per Nouogios & Teczynios prcedẽtes, quorũ vnusquisq; Athlas labẽtis, Lycurgus stantis Patriæ dici poterat. Sonora est hucusq; vox clamãtis famæ nominis illorum per Poloniam, quàm Herculeis passibus ad publicum decus & commodũ, ad immortalem deniq; gloriam contendẽtes, per ardua quæq; & confragosa ferisq; obsessum iter, rapido cursu niterentur: quibus ante laticlaviũ honoris, Consilij in animo Purpuram & Senatum præferre, ingens negotium fuerat. Ambiebat ergo Senatorius murex iam benè notos sibi illorum lacertos, ingentium meritorum in Republica baiulos, cui magnum illicium est, vt sequaces amiciat; fuisse pro decoro gestum à primis. Nobilis quippè Maiorum Sãguis, quo censeri æquè ac proprijs clarere Virtutibus Tarłonibus hereditarium semper: est omni ostro fortunæ ad purpuras felicior; nec tam pulchrè alieno cruore, quàm proprio Natalium murice tincta Senatorum Conchylia rubent; qui & Illis Sydonio succo pretiosorem, ad chlamydem Senatoriam, subministrauit colorem. Quàm ergo decorum est, filios Solis non fieri Phaëtontes; tam pulchrum fuit Illos Tarłovios, Paternorum splendorum prudenter non temerariè æmulos exstitisse, multoq; pede tritam eorum viam arripuisse, & vel in pulvere legisse vestigia, qui sibi antecedaneo passu magnum gloriæ iter insigni Virtutum calcaneo decurrentes, prævivêre, quorum augusto Nomini meritisq; in Rempublicam noua cumulatione semper maioribus, gratæ posteritatis industria inscribet æternùm duratura saxa. Inter ferream, & velut ex chalybe malorum cusam, infelicem præsentium annorum duritiem, iam totam

tam ſub incude Vulcania gementem, ex aurifodina illa antiquioris ſæculi libeat eruere purioris metalli Virum, cui & ipſa animi excellentia aureum providit Nomen, NICOLAVM TARŁO Supremum Regni Cancellarium. Conſignat quidem aurei ævi ſignaculum ſignatorius eius annulus os meum: vt de tanto Heroe loqui qui gemmas non poſſim, piaculum mihi ſit; aſt vbi puriſſimum mentis eius obryzum loquitur, Tullius ipſe tacet. habet nempe metallorum Princeps ſuam eloquentiam, ad cuius ſplendorem & Mantuana Muſa obmuteſcit, & Demoſthenis facundia obtunditur. habet & iſte inæſtimabilis olim animi pretio Vir, Regniq; Noſtri in ſuo annulo pretioſus vnio, habet inquam (ſi fas eſt arcana annuli vulgare) me tacente divitem meritorum in Republica gazam, virtutum cimelia, principem animi glebam, quæ pro illo ore eius auguſto, quo Reges loquebātur, linguis & voce omnium diſertum agit Oratorem, ipſaque Patria, eſt vocale idioma immortalium geſtorum eius; nec reputat vel ſemel loqui pro aureo Poloniæ Ciue, qui toties pro Communi Patriæ bono, pro integritate Reipublicæ, velut alter redivivus pro Roſtris Latini maximus Author eloquij peroravit, qui deniq; totus in vſus & commoda Patriæ aureus fuit. nec ænigmata loquor; cuius ſi caput nitidum aſpiceres, quid? niſi aurum optimum ſapiebat; ſi os eius & linguam penſitares, hæc tota anima Reipublicæ fuit; ſi deniq; auguſti pectoris Conclaue ſcrutatus fueris, bonorum omnium gazophylacium, omniſq; honeſti elegantiam diceres. Nec tantùm illi flos oris facundo vernabat germine, aut ſolus dulcè ſapiebat atticus lepos; aſt in ipſis rebus fundata gravitas, purus animi Candor, illibata Principibus fides, veri cordatus amor, aureum Virum viſa fuerunt ſolidâſſe. de quo ſi Cyneas & Demoſthenes totus, (qui ipſe talis in Republica fuit) omnia dixiſſent; reſtat velut poſt guttam, Elogiorum eius Oceanus totus. Renouare ſi fas eſt doloris publici profundè inflictam cordibus omnium cicatricem, hianſque ictu valido mærentis Patriæ vulnus, quod cadentis in fatale marmor de ſede ſua vnius Aſciæ, benè exaſciata in Ceruicibus hoſtium incidit acies; quæ nouerat ſtans adhuc, aurea Patriæ Saturni condere ſæcula: reuocamus pridem perennibus memoriæ ſaxis, & æternitati benè deſcriptum Nomen Tuum, Illuſtriſſime olim IOANNES TARŁO, Regni Poloniæ Inciſor, cuius Gentilitius ſplēdor ceù excellens ſenſibile, lædit quidem inſpicientis ſenſum; nec aſſuetam tantæ luci inueſtigandæ in-

genij mei perstringit aciem: & quod tenebris diutiùs assuetis euenire solet cùm in propatulũ solem venerint, acre oculosq; diuerberans lumen hebeti intuitu ferre nequeunt; idem mihi, ad primam excellẽtiæ Tuæ faciem cæcutire, ab initio pauere & in limine fatiscere cõtigit. Si tamen penitius rem non iam apud me inuestigo, nec spiritus fatidicos & oracula Phæbi, sed lucem veritatis Historiã de Te consulo: video Diuinæ particulam auræ animum Tuum fuisse semper rasam tabulam, ab intra aureis virtutum characteribus scriptam, ipsis tantùm Cœlitibus de pretio & valore sui notam: ab extra verò boni publici incõparabili amore, fideli Principũ Poloniæ obsequio exaratã, ferreoq; dexteritatis stylo, etiam apud Exteras Gentes immortalibus Cedris insculptam. Sed iam Te æui illius solem lucidissimum, oculis ereptum, nubeq; mortalitatis inuolutum, & mihi disparere video. Alius atq; alius, animo illabitur ipso sui aspectu gratissimus Asciæ Vestræ splendor; alius mentem subintrat suiq; acie pupillam euerberat luminum vestrorum fulgor; alia Natalis Cœli Vestri, apparet constellatio; deniq; novus ab exuvijs mortalitatis, visendus exoritur nitidissimus ille mentium Planeta, Senaculi Poloni Maiestas & delicium, vox nimirum clamantis è Triumphali monumento, quod sibi adhuc in vita operum excellentium Dædalus architecta Virtute, aureaq; Bipenni exasciauit, Illustrissimus olim IOANNES TARŁO, Palatinus Lublinensis. Echo nominis eius quàm dulciter resonauerit in auribus omnium, etiam extra limites Patriæ, non est quod inquiras; satis vocalis est fama tanti Senatoris, vel in illo Legationis munere, quod in Transsyluaniam adeò dextrè legitur expediuisse; vt Hercule Gallicano felicior, aureâ oris sui catenâ liberrimæ Genti regnaturum in Poloniam pertraxerit Bathoreum. Exultat certè ad eius memoriæ felicem recordationẽ Polonia, cuius in arduis negotijs dexteritatem, sapientiam ac prudentiam, toties agnovit & venerata est, dum illa temporum revolutione, nihil fuisse in Republica tam difficile vidit; quod ille magno animo aggredi, consilio perficere, authoritate tueri non potuisset. Sed magis dolet ac ingemiscit se amisisse, in vno Senatore, salubrium Reipublicæ Consiliorum verè aureum Tripodem; in vnico Heroe, fortissimum Achillem, in vna deniq; Ascia obscurata tantum iubar tantumq; Familiæ splendorem. Verùm si potuit taliter afficere, vastam sui ambitu totius Poloniæ corporis molem, eiusq; mærentia iusti doloris cordolio movere aut sollicitare viscera, æter-

ra, æter-

ra, æternùm extinctus vnius Herois generosus spiritus: quantò majores excutit lachrymas, plorantibus oculis Sarmatici Trionis Nobilissimæ parti Podoliæ, servator eius fortissimus, & ob excubias Centoculo non dissimiles Argo in defendenda illa, Asciæ sortitus nomen natiuo idiomate Straza dictæ, integritatis suæ acerrimus Custos HIERONYMVS TARŁO. Medulla hæc dolentis nostrûm pectoris corpori suo avulsa; pupilla ista Aquilæ Polonæ oculis plusquam Sinonia fraude erepta, Sol deniq; hic Cæli Sarmatici, iam interpositione Otthomanicæ Lunæ eclipsatus; quantùm madeat luminibus, & quàm altè effuso lachrymarum profluvio immersus deploret: æternos animam tanti Herois collegisse in Orbes, non est congrua & sufficiens huius paginæ Narratio, & ipsum Hymenæum dedecet iste dolor. Toties quippè triumphâsse cum eo visa est victrix sæculorum Ascia, quoties ipsum Gradiuum spirans, totoq; Vesuvio ad res maximas incalescens, Hector ille spes salusq; Podoliæ, aut pro Troia sua stans Apollo, non septemplici Aiacis clypeo munitus, ast totus Bipenni sua obarmatus, infestis Tauricanæ Phœbes ignibus Natiuam obtendit Asciam; ut nitore eius refracti incursantium radij, suos ferirent basiliscos. quoties deniq; victricem hanc extulit Dolabram, toties Odrysia Hydra fulgore eius excæcata suoque ictu saucia, non parco immaduit cruore suum dedecus erubescens. Post cruores ergo Thracios & vindicias Magno Sanguini datas, securius illi omnino fuerat ad Purpuras iter; cui grandior ætas, uon ebriam bis tincto veneno de fulvo Phryxi vellere pretiosã pingebat lanam, sed toties profligatæ Cynthiæ Otthomanicæ pudor geminans ruborem, Purpuram Senatoriam colorabat; quam induens meliùs sudores belli abstergeret, ipseq; Comes Virtutibus acriter instabat, & vltro se meritis iungebat Palatinatus Sandomiriensis honor, nisi Heros hic, augustiorem sibi Purpuram, fusum per vulnera sanguinem censuisset: cui sufficiebat ad immensas animi gazas, meritorum ferax & ex seipsa ditissima virtus, volens magis digna esse, quàm videri in illo incedere Coronata. Ampliori sermone non retexo notas posteritati tanti Herois laudes, ut parcam rubori: nè qui olim ex modestia, ad induendam justam meritis suis erubuit Purpuram, tunc etiam ad tenues & insontes Oratoris justiùs erubescat panegyres. Sed rapiunt iam hærentem animum in sui contemplationem latè fulgentia Asciæ Vestræ Cælestium gazarum pondera, bina Pontificiæ dignitatis Corcula venerandique Antistites,

STANISLAVS TARŁO Premyfliensis Antistes, & PAVLVS Leopoliensis Archipræsul. Gemmas veriùs dixerim, aut vniones Ecclesiæ sine pari, & Infularum Monilia, quorum pectus cultissimũ animi pietate, magnitudine, morum elegantiâ, gravissimi judicii authoritate zeloq; Pontificali venerandum, omnes adeo insederant virtutes; vt cuilibet hominum ætati sufficerent in exemplum. Vasa tamen aurea fuêre electa solique Deo consecrata; quæ toto vitæ tempore quid aliud sonabant in auribus omnium, nisi Divini honoris harmoniam, & dulcem innocentis animi Cytharam, nec tamen ad iactantiam vanæ ostentationis, vt sint tintinnabula inanis gloriæ, ab extra quidem suaviter sonora & dulce animorum melos, ab intra inane corpus & grande nihil; verùm ad genuinum modesti animi indicium pulchrumq; virtutis specimen, quæ nè videatur, licet re ipsa sit vas bonis operibus plenum, quod minimum ex se edit sonum: eligit potiùs esse in oculis hominum vacua & inanis. Quàm pulchrum certè in Præsulibus eluxit modestiæ exemplar, & tamen quàm plena serijs virtutibus hæc auriflua vasa fuere, quàm cælestis gratiæ infusione exundantia, omniq; rectefactorũ lapide pretioso intùs & extra decora: quæ propter fulgorem sapientiæ probitatisq; splendorem, vniuersa opum mundi excesserunt pretia; propter mentis ebur & conscientiæ nitorem, Cœlestis puritatis attigerunt lilia & niues; quàm expolita, quàm mundissima, & quib9 ad plenitudinem omnis perfectionis tantùm desiderabatur, quãtùm exundantibus septemplicis Nili ostijs, ad plenitudinem aquarum. Verùm nè aliquem ea inuadat opinio, quasi in Domo Vestra hospitari tantùm visus fuerit quisq; Magnificus honor, exigui temporis sub Penatibus Vestris nactus moram, egisse semper inquilinum arguit retroacta sæculorum ætas, triumphâsse in Toga & Sago Asciam palàm conuincit interpres rectefactorum publica Conscientia, quæ Tarłouios novos Patriæ Fabios Romanis validiores, & in Curulibus suis Censorinos atq; Nasicas vidit, quos iam euocat in paginam de monumentis suis venerabunda lucubratio, STANISLAVM nempe & SIGISMVNDVM Polanecenses, deinde Belzensem, & GABRIELEM Radomienses Castellanos: vt constet Orbi, Asciam non natiuo tantùm iubare coruscam; sed etiam Senatoria fulgentem in Trabea, vtrobiq; Illustrissimam fuisse. Quippè non ætate detrita, defluxit Tarłonibus Purpura, quæ toties continua serie succedentibus Posterorum renouabatur humeris, & honor

nor illis ceu rediuivus de Cineribus Antenatorum resurgebat Phœnix; imò ipsum Familiæ Senium & vetus in Orbe Polono Starzarum decus, quod decimum ab hinc sæculum, non versuti Myrmidonis manu aut Dolopum vulgari spiritu versant, suffragium illis esset ad Purpuram, nisi alia animi decora, iustiorem emeritis honoribus calculum dedissent. Pulcherrima quippè dos naturæ & fortunæ est magnus atque altus sanguis; si tamen illi de proprio nihil accesserit venustatis & coloris, potiùs est rubor & verecundia in posteris. Alijs etiam Nobilitas generis, est gradus, quo ad sacram fortunæ aram ascendunt; Tarłonibus, in Comitatu meritorum, auxiliabatur integritas, animi magnitudo vno Ioue minor, mentium apex, ipseque innatus Candor, album calculum dedit ad Purpuras. Provisum certè fuerat cuilibet illorum à Maioribus suis, ut iis in virtutis & meritorum Patrimonia succedentes, Magni quoque gloriæ successores, satis haberent splendidissimis Natalibus non dispari cura allaborâsse; ast illi claritudinem generis, non ad satietatem gloriæ, sed ad stimulum habentes, tantò acrius animum suum vrgere ad excellentia quæq; non cessârunt : quantò illis à decora nascendi Origine, ad sublimia quæque maior provocatio fuit. Nec possum hîc ingrato præterire silentio Animas illas, quorum Nomen Virtus heroica, latè in vltimas extendit oras, NICOLAVM & ANDREAM Sandomirienses, IOANNEM Leopoliensem, & NICOLAVM Premyslliensem Vexilliferos; qui hucusq; famam suam immortalem super æthera notam, ceu ingens Magnorum operum volumen, ipsis expandunt vexillis, Magnanimi Tarłoviæ Domus Alcidæ, maximaque Reipublicæ Columina : qui infracto mentis robore, tot olim negotia, tantamq; curarum molem sustinuerunt, quot munera pro integritate eius, nacti Asciam laborum hæredem, vsque ad inuidiam sæculorum absolverunt, sibique æternæ laudis exhibuerunt Trophæa. Noscitur in illis Ascia, tot sæculis agendo expedita, in molimine virtutum immortalis gloriæ Magistra. Noscuntur præcelsæ animi dotes, famulantis fortunæ obsequium, Regum gratia, insignes honorum Trabeæ. Noscitur denique ceu ex vngue Leo, splendidissimus illorum sanguis, per omne genus meriti, gradibus & officijs in Regno maximis, & hucusque procedens: ipsaq; Ascia animorum formatrix, ingeniorum lima, sententiarum statera, bonarum mentium exasciatio, verbo complectar, omnium sæculorum splendor & Majestas.

G Sed

Sed quis demùm tot indefessos Theseos, zelosos Hectores, intrepidos Curtios, Sarmaticos Scipiones, & alios sexcentes Bellatores, siue pro Aris flammeos Elias, siue pro Focis igneos Catones, meliori copia quàm olim ex Amaltheæ cornu aut Phrygio Equo, ex Illustrissima Familia Vestra, longa sæculorum serie prodeuntes, Oratione complecti vel vtiq; attingere valeat: quibus recensendis impar est omnino & insufficiens tenuis eloquentia. Ergo Aui saltem Tui Illustrissima Neosponsa, PETRI TARŁO Palatini Lublinensis, augustos Manes liceat non nihil contemplari, & vel in puluere virtutis eius legere vestigia. Traduxit ille à vetustissima origine magnum in se spiritum, quo semper in agendis rebus maximis incalescebat, & quo tota animabatur Polonia, factus olim Patriæ senaculum & anima boni publici. Accepit Insigne Gentilitium Asciam, non vt ostentaret originem suam Lecho coæuam; sed vt eo operaretur, quod in perenne vtilitatis Patriæ & gloriæ suæ assurgeret Monumentum. Induit deniq; Purpuram, satis Orbi fulgidam etiam sine gemmis, ex gemmis virtutum; sed quam illi ingentia texuêre merita. vbi quàm consultissimam ad aram publici consilij egerit Animam, quàm ex Tripode sapiebat vt oracula diceret, quàm fuerit præcellētissimi animi Heros, quantus Orthodoxæ fidei zelator, quàm absolutissima in eo summæ virtutis idea, quanta iudicij in illo maturitas, quàm conquisita multa eruditione multoq; rerum vsu prudentia, quàm vndiq; circumspecta sedulitas, & nusquã non probata industria præluxerint; non mea de illo æstimatio, sed generis humani conscientia, sed Senatus Populiq; Poloni iudicium loquitur. Non possunt tamen illa excellentia ornamentorum eius quibus vbiq; eminebat vndiq; collucebat argumēta, in arctas breuesq; cogi periodos; non potest ille ipse quem Ecclesia, quem Patria, quem Respublica loquitur, digne à me prædicari; qui admiratione sui & magnitudine gloriæ, etiam ingeniorum medullas & Phænices animorum triumphabat. Sed quàm suauitèr & hucusq; triumphet, licet iam ipse Currus Triumphales in Vrnam, Palmas Victrices in Cupressos, Purpuram deniq; in Syrmata mutauerit; in Magni Nominis Filijs, & Patriæ amãtissima Prole ingens rei præsentis negotium est. Et hæc demùm magna Parentum felicitas, maius solatium, maxima gloria est, dare Orbi non degeneres Filios, sed gloriæ suæ ex æquo hæredes ac successores. Talem Te Orbi Polono exhibuisti, qui mihi dicendi facundiam adspiras,

illo vul-

illo vultu, quo Reipublicæ Patriæq; momenta moderabaris Magne Senator, Illuſtriſſime olim IOANNES, primò Lublinenſis, deindè Sandomirienſis Palatine. Si verum eſt Nobiles ortus, non tàm vitam ex ſuis Genitoribus, quàm auſum ingentium animorum trahere: quàm hoc benè in Te expreſſiſti, qui etiam non plus lactis ex Materno vbere, quàm ſpiritus exſuxiſti generoſi. Ergo à tanto Maiorum ſanguine vitam, & decora vitæ exorſus, Aſciam Tuam manu validâ & operum amante complexus, non tam vitæ glorioſiſſimæ ſpatio, quàm architectâ virtute, tantum cõfeciſti: vt dignum Archimede in Te ipſo ſtruxeris opus. Noluiſti quippè Maiores Tuos ita in Tuum laboraſſe decus, vt non eis velut præmiũ, paria facinora & actus æmulos rependeres; ſed adieciſti de Tuo Aſciæ tantùm ſplendoris & honoris, quaſi in eius lucem, nemo ante Te laboraſſet. Sed quia erubeſcit rerum naturæ facies, ſi in viris heroibus princeps animus ſine purpura; nec Tua Virtus potuit eſſe abſq; Corona, aut animi Maieſtas ſine murice, cum ipſe honor ad Te, cuiuſvis moræ impatiens, quaſi poſt longa tædia feſtinaret. Securis quondam Romanorum Procerum Inſigne, Conſularem decorabat Purpuram: quantò pulchriùs Gentilitia Tarłoviorum Aſcia, Senatorias Orbis Lechici, in Te occupabat Curules: quem meritis non tempore grandior ætas cùm æquaſſet Superis, cognatꝰ virtuti honor iuſſit Faſces prehẽdere. Auxiſti certè tùm Purpuræ decora factus Poloni Senatus grande iubar; cùm quidquid ab Aſcia Tua bono publico leuigatum politumq; acceſſit, nè Phidias quidẽ ebori ſuo limatiùs quidpiam adijcere poſſet. addidiſti honori æſtimationis tantum pondus, vt dubium feceris, ſe ne Tibi, an Te ſibi honor magis gratulari debeat, cui plus ex Teipſo claritudinis addidiſti, quàm acceptũ referre potuiſti. Seriem Virtutum Tuarum non texo, vaſtiſſima fuit: magnitudinem animi non ediſſero, in oculis omnium hucuſq; verſatur: merita non computo, adhuc in ſtupore tenentur: ſufficiet dixiſſe, poſuiſſe quidem cum mortalitatis exuvijs Illuſtriſſimũ olim Parentem Tuum Purpuram, ſed vt Tu eam indueres, qui fuiſti Magni Progenitoris non degener Filius, Maiorumq; norma & amuſſis; ſicq; ſecutus vitæ & gloriæ eius veſtigia, mori quoq; debuiſti. Perennat tamen Virtus Tua immortalis in auguſto Filiorum Sanguine omnis perfectionis ternione abſolutiſſimo, ceu firmiſſimis Patriæ & Eccleſiæ Columnis, quarum vnam licet everterit improuiſa fatorum vis, ſtat adhuc benè in tribus virtute illorum

 ſolidiſ-

ſolidiſſima compactum immobile totius Patriæ atque Eccleſiæ firmamentum. Hîc iam liceat excitare à profundo mortis lethargo, venerandos Fratrum Tuorum Manes, moderni ſæculi ſpirantia fulcra, nunc etiam in vmbra, non in ſplendore tantùm Magnos & Illuſtres, qui in vita Magni fuere, par Nobile Sãguinis Tui, Illuſtriſſimos ALEXANDRVM TARŁO, Caſtellanum Zauichoſtenſem, & SIGISMVNDVM Capitaneum Pilznenſem: has aureas Olympi Sarmatici lampades, licet extinxerit triſtis fatorũ nox, maiores tamen illorum in occaſu prout & ſolis vmbræ ſunt. Functi quidem vitâ, multa tamen pars illorum crudelem vitauit Libitinã, quia maior relicta, iam tota eluceſcit in Magnæ expectationis Filijs, beneq́, olim reſponſura Magno Nomini ſuo auguſta Prole, etiã poſt funera ſuperſtes. Non adduco hîc ætatem illorum floridam, omni elegantiâ morum, pietate ſingulari, prudentiâ annos excedẽte, conſtantiâ maturâ, affabilitate & modeſtiâ vernantem, totamq́; culturæ ingenij acriter intentã: non cõmemoro, quàm poſt Virilẽ Togã induti, non vulgari manu aut gregario ſpiritu tenuerint Domeſticum ſplendorẽ, antiquiſſimã in opere ſuo Aſciam, ſed ſemper maximis Reipublicæ applicabant curis: quàm deinde, non Maieſtatis favore, leviq́ꝫ plumâ popularis auræ adiuti, aut aureo cenſu, qui illis Dædaleo fingeret molimine velocem pennam, ſed virtute ſolâ meritiſq́ꝫ poſcentibus, ad Trabeas & honores excelſos pernices Aquilæ evolaverint: vbi ceu in alto fortunæ & gloriæ ſuæ nido, quàm floridum virtutibus, magno exigui corporis hoſpiti ſtruxerint larem animo, deniq́ꝫ quàm amabili dulcore, & mentium ſuavi invitamento celebres, Conſilio in publica Orbis facie exquiſiti, prudentiâ longoque vſu per Exteras Nationes conquiſitâ peritiâ pleni, ſermone affabiles, humanitate inſignes fuerint; recens horum memoria, probatiſſima in oculis omnium illorum vitæ ſeries, ingens dictorum comprobatio eſt. Meretur publicam famam, & Virtus Tua, omniumq́ꝫ oculos animus ille, bonorum omnium Dactyliotheca, cum quo iam nobis redeunt priſca Saturni ſæcula, & qui aureis Tuis Conſiliis, calamitates noſtras ad ſuperbiam vſq́; facis eſſe pretioſas, Illuſtriſſime STANISLAE TARŁO Palatine Lublinenſis. Infers quippè in Theatrum gloriæ Maiorum Tuorum, dignam veræ virtutis imaginem, quam inter Lechica Numina portas, ſpectatiſſima omnis excellentiæ idea, mentium ſelectiſſimarum exquiſita portio, recensq́ꝫ operis gemma & ſplendor. Vix Te tenerum

ſuis

suis Fascijs evoluit Lucina, suscepêre Musæ, & ingenij Tui aciem suapte, poliri cupientem, & culturæ omnis auidam; primò expoliuit Atheneum Iagellonicum, illo Literarum cultu insigni qui bonas mentes exasciat. In hoc erudito gratiarum sinu, vsq; ad excellentiam ingenij & suaues Musarum delicias spei publicæ formatus: prodijsti tandem in Orbem Europæum & exoticum Solem, claritudine animi sic promicans; vt à Te omnium corda, ceu à sole atomi raparentur. Vidisti superba Romæ Septizonia, & quidquid coquitur illo Sole, Orbiq; alieno pretium Asciæ Tuæ intulisti, peragrasti Prouincias & Populos omnes, sequacem vbiq; habens bonam famam, quia prodromam virtutem; & quidquid in illis virtute selectum est, in vsus Tuos innoxiè transtulisti. Admouisti demũ redux in Patriam fortunatus, strenuam Asciæ Tuæ manum, seriam in agendo & operi intentam, quam à teneris adhuc annis tenerrimè complexus es. Accendisti tum auitis Ceris, Cynosuram gloriæ Tuæ, quando optimè gnarus Illustrissimam ASCIAM Tuam, primam in acie Martis aciem confecisse: eam non aliàs, nisi in Ceruicibus hostium habetare voluisti; vt Tibi Martis ingenium acueres, dignissimus S. R. Maiestatis Roth-Magister factus. Nihil Asciæ Tuæ ferrea Gradiui rubigo obfuit vnquam, quominus in Castris fortis, in Curia politissimus, domi humanissim9, ex ductili hoc metallo, in minutissimas laminas, prout res Patriæ posceret solidissimâ Virtute ducereris, imò eam, hostili cruore à ferrugine vindicasti, quando ad Strigonienses Cannas in Hungaria, Asciam Tuam militare in bellis, hocq; ferro tueri Patriam, & vitam dare Imperijs voluisti; Thracemq; barbarum & lumen & aciem Asciæ fugere effecisti. Succreuit tandem iustis in Patria meritis exercita Virtus Tua, in Tribunalitio Areopago, per incorruptæ æquitatis tramitem ad Senatorias progressa Curules; vbi quàm pulchrè in Consilijs ferendis antiqua responsa prudentum, in iudicijs ipsam æquitatem vincere videaris, non est quod ad Sibyllæ folia reuocemus: cùm & ipsa animi Tui puritas atq; elegantia, ceu magni pretij gemma, ex pietate, candor ex ebore mentis, magnitudo ex virtute, põdus ex authoritate, consiliorum abyssus èx intelligentia, ad oculum in Te pateant. Sed iam hîc mihi dicendus venis, qui totus dici non potes, nisi ore Tuo, quod pro Maiestate Polona augustè loquitur, Starzarum & Tarłonum ævi nostri sũmitas & Maiestas, dilectæ PRZYIEMSCIANI Cordis Sponsæ Magne Progenitor, Il-

lustrissime & Excellentissime Domine CAROLE de Szczekarzowice TARŁO, Regni huius Procancellarie. Decora Maiorum Tuorum & Nomina, supergressus est splendor Tuus, in Ascia sic expolitus, vt tersissimum speculum videri possit, in quo Principes Prosapiæ Tuæ per tot sæculorum tractus in Orbis Oculos facilè incurrunt, etiamsi in Te solo spectentur. Series illa temporum decadem sæculorum complexa, quæ à Lecho cepta, supparem illi Stcareorum originem habet; myriadem in Te immortalium pace belloq; gestorum, non claudit, sed renouat: nempè Tibi adeo sufficiens meritorum gloria, vt quamuis de Toporeis siluisset omnis antiquitas, Tu ipse tota antiquitas esses, & superabundares adhuc Magnitudinis Tuæ nesciens mensuram; propter quam, cogitantium de Te capacissimas mentes excedis. In Senatu Romano Regum se vidisse Consessum, Cyneas olim coram Pyrrho Epirotha dixit. Animum Tuum Senatum ego dixerim Capitolino Maiorem, in quo Maiorum Tuorum facies tàm augusta cernitur; acsi tot Regum, quot Antecessorum, Sanguinis Tui Consessum haberet. Atria Scipionum, Metellorum, Cæsarum, auitis imaginibus plena, atria tantùm fuêre, sed non augustalia Virtutum: at Tu picta hæc Vestibula non ambis, non referas, nec toto Apelle in id laboras; vt in lineamentis vultuum priscas effigies ostentent. Viva omnium effigies, anima, & ingens spiraculum es, totumq; in vno, sed animatū; quod Ascia condidit Augustale. Reserare mihi in eo cellas Iouis, & Conclaue Delphico venerabiliꝰ si liceret; reuelarem ipsam virtutis sedem, ipsā splēdidissimi intùs apparatꝰ medullā, & dignū Principe animo thronū. Nam quid in Te ex incōparabili Principum Virorum excellentia non summum? quid externa quoq; specie quovis Curulium Senatoriarum fastigio digna, non vndiq; decorum? quid ad amussim dotum naturæ præcellentium non compositum? certantibus ipsis Gratijs in purpurato Vultu Tuo, ut & amabiles simul, & ad oris Majestatem sint augustæ. Pulchritudo & decor animi Tui, etiam in externis Vestigijs satis apparet, soloq; intuitu convincit; ut animorum oculos teneas, ut amorem & reverentiam temperes, ut leni quantumvis imperio, bonarum mentium Dictator sis. Non est Tymanthis velum quod arcano pectori Tuo prætenditur; sed sincerissima Tui delineatio, ostendens qualis sis, ubi maximè habitas, nempè in Magnæ mentis Tuæ recessu. Hîc residet ingenij perspicatia Centoculis acutior, judicii sublime etiam Censorinis negatum, Sapientiæ

pientiæ Acrocorynthus, Athenarum Cecropio Maior, doctrinæ politioris non fucus, non ſyparium, non cruſtata facies, ſed nucleus, ſed theatrum, ſed robur ipſum, æreq; pluſquàm Corynthio fuſa compages, ſæculis ferendis idonea & in exemplum Poſteris ſuffectura. Multi ſapiunt in ſpeciem & ad famæ tinnitũ ſatis, Elephantes Crœſi propriâ, ne Muſcæ quidem alienâ, facilè evanidi & in nihilum ſuum redituri, ſi veritas opinioni ſe eorum opponat; quorum vaſta ut ipſis videtur eruditio, ſenſuſq; magnitudo aliquid utiq; fuiſſet; ſi nimis in vacuum non protuberâſſet. At Tuæ vis eruditionis, ſolidiſſima, profunda, ſeria, inexhauſta, nimirùm ex fonte Vniverſalis Studij Cracovienſis, non delibata tantùm; ſed plenis in Cor Tuum ſapientiſſimum alveis deducta. Hìc ingeniorum Aſcia, imò acies ipſa fueras, ſupra limam, ſupra cenſuram, intelligendo acutiſſimè, diſcernendo ſubtiliſſimè, poliendo cultiſſimè, & deducendo in opus eloquii ſuaviſſimè; quòd profundiùs aliis conceperas ipſo etiam Magno Chirone Tuo ſtupente; quòd ſupra nutum eius, iam captu ingenij maximo prævenires, quæ vix Tibi inſinuata fuêre. Vidimus attoniti, audiimus nimiâ dulcedine inundati, Atticam ſuadam Tuam, in Roſtris toties triumphantem, iamq; tum felici mentium præſagio, Oracula Tua audire nos putabamus, quibus nunc Orbem Sarmaticum imples, & de cuiuſcunq; Eloquentiæ principatu triumphas. Iam tum Neſtorem ſuum, non unus Regum Agamemnon prævidebat futurum, iam tum Pericli ſuo fulmina ſed dulcia, os aureum, non uno ictu formabat; Pallade Iagellonica vix gaudia ſua tenente, quod necdum ætatis permiſſu, iam maturus & Orbis æſtimatione dignus, ſentiendi dicendiq; Tripos fueris. Secuta deinceps per Orbem, quâ latè patet Europæum, hæc celſiſſimas animi Tui dotes ubiq; æſtimatio, cùm iviſſent Tecum per longiſſimos Exoticarum gentium tractus, comites, pietas, innocentia, verecundia, modeſtia, & alia heroicarum virtutum decora, quibus facilè adſpirabat gratiam ſpiritus Cæleſtis, in benevola anima libentèr habitans; diſponebatq; cor Tuum, ad eminentes profectus in ſtudio ſapientiæ, cùm iam in eo Timor Domini ſolidiſſimam baſim poſuiſſet. Ita Germanicæ, Belgicæ, Gallicæ, Auſoniæ Oræ, felici paſſu & magno prudentiæ fructu peragratæ, ita Roma Fidei & ſapientiæ medulla ac Eccleſiæ Princeps, oculis in Te attonitis defixa, ita ſinus Tibi gratiæ Summorum Pontificum & Purpuratorum Eccleſiæ Patrum expanſus, maximâ Tui æſtimatione oſtendit; etiam ad Hyper-

boream Arcton, dignas Orbis terrarum pretio animorum gemmas inæstimabiles nasci. At verò quis ille, & quàm rosis & lilijs Coronatus Patriæ sinus fuerat, qui Te redeuntẽ excepit? desideria illa & anhelitus eius, quibus ad Te suspirabat, implevisti sanè & super implevisti, vix in oculos incurrens & iam cordium possessor. Plausêre statim honores publici, parem sibi Athlantem gratulati, Civiũ Patriæ mentes, cognovêre mentem in Te libertatis & Reipublicæ futuram; augusta Regum Solia, intellexerunt quod sibi destinebãt, eloquij in Te idioma purpuratum. Hîc ego Oceanum Athlanticum in brevem Isthmum, Divinum Homeri opus in nucis avellanæ corticem, Myrmecidis nauem eburneam, sub tenellas unius apis pennulas cogo; si postquàm ad Rempublicam accedere Tibi placuit, quantus fueris ad hanc tenuem libellam expendo. Non capiebant Te Cõuentꝰ Nobilitatis propter excellentiã animi, excedebas, quamvis modestissimo de Te sensu omnium gratias, rapiebas affectus, tenebas voluntates, quoties de rebus Patriæ sentires diceresve, minor adhuc subsellio, sed animo omnia subsellia prætergressus, & cùm nihil simulatis Politicorum artibus deberes, vincebas unico candore omnium Sinonum & blandientium Syrenum commenta, cùm probitas, sinceritas, veritas, formabat Tibi Consilia, dictabat Oracula, concludebat sententias. Nihil per Te datum ostentatrici pompæ, ceruſsatæ eloquentiæ, ambiguæ & nimis reconditæ voluntati, uncis & ambitiosis manibus, oculoq; semper ad lucra sua & aliena sestertia respiciẽti. Admissi in amicitiã Pompilij, Nasicæ, Catones, delecti inter familiares virtute probatissimi Hephæstiones, exosi & reiecti Ganymedes, Parides, Narcissi, turbaq; illa parasytorum, cui semper animus in patinis & nihil tristiùs quàm domicænium, penitùs exauthorata. Lares & Penates Tui innocui, foci Vestales, Aula Harpyjs & vulturibus occlusa, mensa alienæ sanguisugis famæ risuiq; Sardonio, & procacibus Cynicis iam edẽtulis denegata, omnia priuatim & publicè ex tenerioris cõscientiæ præscripto, ex dictamine legum, ex officio boni Ciuis, æqualitati amica, singularitatem fugientia, humanitate suauissimè condita; sed tamen à iusto & æquo non recedentia: quæ omnia effecerant, vt publica Regni facies, neminem magis deperiret, corq; Nobilitatis nullibi tutiùs spiritus suos vitales, quàm apud Te deponeret. Inde veneratio, fiducia, communicatio animorum & consiliorũ, inde credita Tibi legum & liberatis defensio, inde iudicia sancta, incorrupta;

pta;

pta; reſpectuq́ carentia. Ergone Tibi non cōmitteretur Pallatinatuū delegata authoritas? ergone Tribunal Regni abſq́ Te Areopagita ſuo? Comitia abſq; Nuntiorum Terreſtrium Oraculo? magni momenti Cōmiſſiones abſq́ Te Arbitro? in quibus ſi æquitas, veritas, & ipſa virtus loqui poſſet, non alium Myſtam & Flaminem ſuum maximum, niſi Te pronuntiâſſet. Sereniſſimo olim IOANNI CASIMIRO Regi Poloniæ, dilectum Te fecerat, digna Regum Palatijs animi Tui virtus, gratia, & temperies, innocens converſatio; ſincera Maieſtatis reverentia, prona in Principem ſed non adſperſa fucatis obſequiis voluntas, illecebris Aulicis pectus impervium, & inter Curiales bonarum mentium ſcopulos, cautum virtuti & Principi fidum. Æſtus quoq́ ille, & turbo vehemens, regnante Sereniſſimo MICHAELE, qui tum in Patria graviſſimè ſæviens, omnia confuderat & everterat propè, non movit fidelem animi Tui Conſtantiam, non traxit in partes oppoſitas, non immiſcuit inanium ſuſpicionum coniecturis, quando contra laruas & commenta cuncta permiſcentium, ſtetiſti inconcuſſus, ore & animo liber, & adverſus temerariè obnitentes infractus. Indoluiſti Patriæ in Euripo illo miſerè fluctuanti, inter extrema naufragia poſitæ, à domeſticis convulſæ, ab hoſtibus dilaceratæ, & inter reciprocas procellas vix non animam agenti, & non indoluiſti tantùm; ſed fidâ conſiliorum ope & remediis efficacibus ſuccuriſti. Cumq; deinceps Principe ſuo orbata, triſte Viduitatis ſuæ paludamētum induiſſet, ſerenaſti eam & ſuſtinuiſti motos eius cardines, cum Interregni tempore, Iudiciorum ut vocant Capturalium Mareſchalcus digniſſimus, vigorē Legum, & publicam ſalutem ſummâ authoritate, prudentiâ, dexteritate, conſervaſti. Oſtendit Te Orbi Polono illa rerum facies animi Celſiſſimi Virum, cordatum pro æquitate, temperatum affectibus, conſilijs prudentem, juſtum Decretis, non ſopitum flantibus etheſijs, nec ſæviente Aquilone commotum, parem muneri, æqualem animo, ubiq́ quadratum. Præſidebas Areopago illi, ut Themidis Oraculum, ut libertatis Antemurale, ut Iuſtitiæ ſpeculū, inter adminiſtrationem rigoris publici, tamen amabilis, & vel ex ipſo CAROLI nomine Cariſſimus omnibus, ac velut ad convincendos affectus, & animorum coniunctionē natus. Pulcherrimum id Nomini Tuo, Illuſtriſſimæ Proſapiæ glorioſum, Reipublicæ proficuum, de qua ſi dicendū erat, dicebas ut Pompeius, ſi reſiſtēdum licentiæ, reſiſtebas ut Auguſtus, ſi favendum Iuſtitiæ, favebas ut Ariſtides, ſi decernenda ſancita

publica, decernebas ut Lycurgus; spartã ubiq; animo & veritate invictam gerens, sed tamen ab illiciis priuato commodo lenocinantibus, & à Callimachorũ dulcib9 sub antidoto venenis, purã omnino & distantẽ. Hæc integritas, magnitudo animi, agendiq; dexteritas, iam Te altioribus subseliis, & eminenti honorũ præcellentiæ destinabat, vocabatq; ad culmen gloriæ, Magno & Augusto judicio, Serenissimi & Invictissimi IOANNIS III, purpuratæ tot meritis virtuti Tuæ conferendum. Perspicacissimus hic animorum interpres, Principum Europæ Ocellus, Regum Sapientiæ Crisis, Selectissimorum in Republica Civium æstimator, æquè in bellis, ut & in delectu Magnarum mentium triumphans, Curuli Senatoriâ Palatinatus Lublinẽsis sublimavit decus Tuũ, toti Sarmatiæ magis magisq; visendũ; deditq; gustum Patriæ in Tuo honore sapidissimum, cum hoc animi sui oblectamentum, ipsa iam pridem votis & desideris ardentibus prægustâsset. Si unquam hilares gratiæ, vultu jucundiori augustam Tanti Principis excepêre gratiam; certè cùm Te Senatui Polono inviscerâset, ex imis visceribus bono publico gratulatæ sunt, quòd integerrimi animi & summi judicii Heros, in sede à tot sæculis & à tot Maioribus suis insessa, suavissimo omnium intuitu spectaretur. In hac Purpura Senatoria, non extulit Te honos supra Teipsũ, non ademit dulcorem animi, Comitatis gratiam, admissionum facilitatem, zelum quidem boni publici adauxit, sed placidum omne in eo, & ex tranquillo compositum servavit. De Bello Otthomanico, de Principum fœderatorum armis, de Moschovitica iungenda illis potentia, de pacificandis Monarcharum Europæ motibus, de Provinciarum Regni huius relevandis oneribus, & de aliis calamitosi temporis vicibus, Rempublicam nunc exagitantibus, gravissima cum intervenissent Consilia, quid non auditum ex ore Tuo, veridicum, salutare, ponderosum, Cedrisq; perennibus inscribendum, cùm diceres ex animi profundo sensu, spirans adhuc Starzarum ingentes Animas, verè ab aureo ævo Senator, ac ideo dignus ex Oraculis Senatorijs, ut PROCANCELLARIVS REGNI in Oraculũ Principum, Maiestatem ipsam loquereris. Vt enim heliotropium solem, ferrum magnetem, Acus magnetica Stellam Polarem sequitur; ita summam Virtutem, prudentiam, authoritatẽ & eloquentiam Tuam, secuta est, Celsissimi huius muneris & honoris Eminentia, ad PROCANCELLARIATVS Regni Sigillũ Te poscente destinatione omnium; sed potissimo Regis Nostri Sapiẽtissimi delectu, qui cùm

sæpiùs

ſæpiùs oſtendiſſet, quàm exaſciatam limatiſsimi iudicij Cenſuram in deligẽdis elegantibus animis haberet, in Aſcia Tua etiam ſeipſo Maior, fecit eam excellẽtiſsimi operis Architectã; cum aciem ipſius terſiſſimam, exaſciandis Regum per Sarmatiam Oraculis præfecit. Si cultiſſima in Te eloquentia nectare manat, certè mens quoq; integerrimâ probitate niteſcit: quando dicta factis comprobas, Conſilia ad trutinam veri ſeriò examinas, reſponſa profundè meditata diſertiſſimè eloqueris, iudiciorum ſententias, ex Iuris & æqui bilance pronuntias, idq; ex eo, quia domi Tuæ nimirùm in pectore Tuo, Sanctuarium pietatis & innocentis Conſcientiæ cortinam habes. Nota hæc & reuelata oculis Diuinis, qui Sole lucidiores ſunt; corã quibus cùm in arcano Animæ Tuæ ſæpiùs appareas, perfudit Te lux illa, & ſapientia erudijt, quam ex Ore Altiſſimi credimus prodijſſe. Quãquam enim negotia publica ingenti numero Te circumſtent, ac multitudine agendorum velut Teipſum Tibi eripiant, non ideò tamen illis Te totum immergis, vt non ſupereminea animo, quem rerum Diuinarũ Contemplationi, & curis ad renouationem ſpiritus ſpectantibus, toties impendis & conſecras. Inde nitor animæ, Virtutum heroicarum amor, pro fide & Eccleſia zelus, inter mundi negotia illibata mentis puritas, in Chriſti pauperes ac præſertim Monaſticam vitam profeſſos, felix Eleëmoſynarum profuſio, Superis quoq; certantibus Tecum: vt vinci ſe beneficijs Tuis non patiantur, à quibus, in Te & Illuſtriſſimam Domum Tuam copioſa benedictio quàm deſcendat; res ipſa quamuis Cæleſti ſigillo obſignata & arcano ſuo relicta, Orbi tamen Polono ſpectatiſſima conuincit. Quid enim in Illuſtriſſima Domo & ſtirpe Tua, tot ſplendidiſſimas Illuſtriſſimorum in OSTROG, WISNIOWIEC, ZBARAZ, KLEWAN, DVCVM, ZAMOYSCIORVM, LVBOMIRSCIORVM, TARNOVIORVM, SIENIAWIORVM, CHODKIEVICIORVM, DANIŁOVICIORVM, BRANICCIORVM, SAPIEHARVM, ZBOROVIORVM, FIRLEIORVM, Proſapias, Conſanguineis nexibus cõplexa, non ad ſummum proceſſit? vel non ſpectatur in ſummo? Quid in Aſcia Tua, pace belloq; decorũ nõ reſplendet? quæ cùm domi Patriã ſuam magno ſplendore impleverit; etiam Exotici nunc Solis, in præcellentiſſima indole & heroica animi virtute, Illuſtris & Magnifici Domini ADAMI TARŁO oculos recreat, & præcipua ſui æſtimatione, præcelſi aliquando in Republica Noſtra Nominis & honoris,

ſpem haud dubiam pollicetur. Quamvis verò Aſcia Tua, ferreo acumine ſuo terrori eſſe poſsit; non terret tamen ſed allicit, etiam ignivomos Leones, ex quibus Illuſtriſsima HEDVIGIS dilectiſsima Filia Tua, iam vicit, iam dulciter illectum tenet, Magnanimum in Illuſtri & Magnifico Domino IOANNE LANCKORONSKI Capitaneida Neocorcinenſi, Leonem; ſed Heros iſte Leo, quamvis ſic ſuauiter triumphatus, Illuſtriſsimæ Domus ſuæ, per tot ſæcula deductos continuabit Triumphos, exæquabit honores, accumulabit meritorum theſauros, verè invictus Leo, pro DEO & Patria Gentilitiis Flammis Zeloſiſsimus.

Quodſi Leones huc, in Trophæum immortale pudiciſſimi Amoris venêre, quidni Herois PRZYIEMSCIANA, ad Illuſtriſſimam TERESSIAM Heroidem ſpecioſiſſimam veniet? quidni expanſis ſinceriſſimæ lætitiæ manibus, ad ASCIAM properet Triumphalem! Ecce venit, ecce properat in Te Illuſtriſſime SPONSE, Cordiſq; ſui delicio fruitur, cùm ad Connubiales nexus Tuos felicem agit Paranympham. Regia hæc Virago Tua, roſeam pulcherrimi decoris ſpeciem, in Illuſtriſsima SPONSA Tua, ô quàm oculis intuetur defixis! ô quàm dotes animi ſummas, ab Illuſtriſſima de peruetuſto PSZONKARVM Sanguine Matre ipſius, Summæ Virtutis Heroina, in dilectam Filiam deductas, atq; per cryſtallina oculorum lumina tranſparentes, æſtimat ac veneratur! Tibi illam Illuſtriſſime SPONSE, in gemmam Cordis Tui pretioſiſsimã conſignat, Tibi in Coronam Capitis, ex puriſsimis lilijs nectit. Cui vt Cæleſtes quoq; Gratiæ manibus dent Lilia plenis, vt Permagno Sanguini, DEO benedicente, gemmarum ex vnione naſcatur fæcunditas, dum Myrias Epithalamicorum applauſuum vouet; id etiam precatur, vt in immortali Trophæo Heroidis PRZYIEMSCIANÆ manu, & ASCIÆ TARŁOVIANE Architecturâ erecto, Cornatis tota gemmarũ grandine ſæculis, triumphet VICTRIX AMORIS PRZYIEMSCIANI MAIESTAS. Dixi.

CRAC: Typis NICOLAI ALEXANDRI Schedel, S.R.M. Ord. Typogr.